





1777
1570
207

FONTIVM ACIDORVM PAGI SPA, ET FERRATI TVNGRENSIS ACCVRATA DESCRIPTIO.

AVTORE
PHILIPPO GAERINGO MEDICO.
è Gallicâ Latina facta, à THOMA RYETIO
Principis Electoris Coloniensis, Leodiensis, &c. Medico.

CVIVS ET ACCESSERVNT IN DEscriptionem & super naturâ & vsu eorundem fontium obseruationes.



LEODII,
Ex Officina Henrici Houij.
ANNO M. D. XCII.
Cum gratia & Priuilegio.



SER

REVE

CIPI

ERNES

in Archiepi

Principi Ele

Leodiensem

ministrator

usq; Baua

chion

Tʌ



nes cumul

tius, aut o

rum aquis

in dies vi

dent; Na

xilijs, qu

test mira

tia nobili

rabilius?

ris, ac tem

bus, ex æ

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERNESTO ELECTO ET CONFIRMATO

in Archiepiscopum Coloniensem Sacri Romani Imperij Principi Electori, &c. Electo & confirmato in Episcopum Leodiensem, Heldisheimensem, & Monasteriensem, Administratori Stabulensi, Comiti Palatino Rheni, Duci vtriusq; Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ, & Bullonij, Marchioni Francimontano, Comiti Lossensi, Longianensi, Hornensi, &c. Domino suo clementissimo.

Thomas Ryetius suus Medicus. S. D.



NTER innumera præsidia, quibus locuples natura, Serenissime & Reuerendissime Princeps, ad conseruandam sanitatem profligandosq; morbos, homines cumulatissimè ditauit, nullum eam præstantius, aut oportunius duorum fontium Spadanorum aquis, vnquã tribuisse, harum stupendi quos in dies videmus, effectus meritò mihi persuadent; Nam si cæteris eas conferamus medicis auxilijs, quid eis aquis in suo genere excogitari potest mirabilium effectuum dignitate ac frequentia nobilius? originis & generationis norma mirabilius? vtendi commoditate tutius? quid naturis, ac temparaturis, etiam ex diametro pugnantibus, ex æquo omnibus conuenientius? quid de-

nique magis ad manum & promptum ſingulis! quum has non apud indos aut alias nationes Barbaras vti alia pleraque medicamenta, ſummo labore, periculoque vitæ ipſius quærere neceſſum ſit, ſed in oportuno omnibus, & acceſſu facili, nemoroſæ Arduenę luco, liberalitate ac beneuolentia Celſitudinis Veſtrę, magno fructu, omnium nationum, Viri Principes, nobiles & honeſti homines potitum ire poſſunt; Huc profectò ad nominis tui, omnium animis imprimendum amorem, ac beneuolentiam, liberalitatemque ac humanitatem cæteraſq; quæ in te prælucent heroicas virtutes, vniuerſo orbi declarandas, omnes ſuas medendi dotes copioſiſsimè videtur congeſſiſſe liberaliſſima natura; Huc omnium nationum homines, ſanitatis indigos, tanquam ad ſacram ancoram, tranſmittit, cum ſolis anteà Gallis has condidiſſe videretur. Quâ de cauſa in communem omnibus nationibus ſermonem Latinum, originem, naturam, horum fontium, tranſtuli è Gallico libello Clariſſimi Philippi Gęringi, & nonnullis inſuper obſeruatiunculis illuſtraui, vt quod à diuina benignitate omnibus datum eſt, omnibus item cognoſcere, eoq; bona ratione, ac methodo frui, liceat. Hunc meum exiguum laborem diebus hiſce canicularibus, tantillo tempore, ab ægrotantes inuiſendi ſubducto, impenſum, Sereniſsimæ Celſitudini veſtræ, horum fontium Domino, Principi ac Patrono meo conſecrare mihi viſum, obnixè roganti vt hoc meæ in Celſ. Veſtrã obſeruan-

uantiæ μνημόσυνον. pro ſolita tua in me beneuolentia, dum maiora paro, benigna fronte excipere, ac Deum optimum maximum, vt quemadmodum in horum fontium largitione, ita in proſperrimâ tuâ per multos annos valetudine, vnà cum omni in vtroque homine bono, conſeruandâ, immenſam ſuam gratiam oſtendere dignetur. Datum in Ciuitate tua Leodienſi, Kalend. Septemb.

CIↃ. IↃ. XCII.



IN THOMAE RYETII D. MEDICI VERSIONEM LIBELLI DE AQVIS SPADANIS.

Scazon.

PRinceps aquarum, quas salubribus venis
Produxit, aut producet alma natura,
SPADANA *lympha, alumna Eburonum terræ;*
Vires adepta in virus omne morborum,
Potensq; fata rumpere aut retardare
Cum languidos à ianua auocas Orci,
Iterumq; donas luce cælica vesci;
Tu nota paucis, & medela miranda
Adhuc latebas vix vel accolis nota,
Cum prodijt GAERINGVS *ille qui phœbi*
Mystes, & audit AEsculapij proles,
Vir arte nescio an scientia maior;
Qui nobilem te fecit, & tenebroso
Obliuionis vindicauit à regno.
Tuus ille præco: hic dona rara lympharum
Sermone notificauit, & & simul pennâ
Sed (quod doleret alius incola Europæ)
Sermone vulgi; mox nisi alterum mysten
Phœbus THOMAM *excitasset, ipse Romanæ*
Te veste Velat; sicq; pulchrius comptam,
Et plurium oculis vsibusq; communem,
Tibi Bauaricæ germen inclytum stirpis
Antistes vbijs, Imperiq; septemuir,
Idemq; Princeps huic Eburonum terræ,

ERNE-

Erneste *donat, Tu clientis hoc munus,*
Quod sanitas ridente fronte collustrat,
Ridente fronte sume. sic tibi longùm
Fluat tuisq; lympha prima lympharum.

IVSTVS LIPSIVS scripsit
in Eburonibus.

IN ERVDITISSIMI DOMINI, THOMAE RYETII SER^mæ S. C^nis Medici, Spadani Fontis in Eburonibus elucidationem.

VIr *docte, arcanas rerum cui noscere Vires*
Vis animi præstans, ingeniumq; dedit:
Qui nostram tantis Patriam virtutibus ornas
Moribus ingenuis, Arte, Labore, Fide.
Noscere Garingus tribuit miracula Fontis,
Spadani*, at Gallis, gallica verba refert.*
Tu modo, non Gallis tantum, sed, qua patet Orbis:
Gentibus, in latium versa, legenda facis.
Talia si præstas viridi vir magne Iuuenta
Quanta etiam tandem tarda senecta dabit?
Peruehe, & Ernesti *tutus requiesce sub vmbra*
Hic studijs fuerit Portus & aura tuis.
Hic tibi Mecænas, doctus tua scripta fouebit
Hoc nullus Princeps, Principe Maior erit.

Ioannes Politus.

IN FONTIS SPADANI DESCRIPTIONEM CARMEN.

FONS Spadane, acidis potu celeberrime lymphis;
Quæ tibi Chalcantho, Sulphure & Aere fluunt.
Queis cerussa, nitrum, plumbum, & se miscet alumen
Et ferrum, & ferri rufa rubrica parens.
Alter & huic vicine, acidis celeberrime lymphis,
Quæ tibi chalcantho, Sulphure & ære fluunt,
Pallida flauenti quibus additur Ochra colore,
Et nitrum, & ferri rufa rubrica parens.
Quem locus emittit cui proximus accola saluo
Nomen ab aduentu non sine mente dedit.
Sauenir. (Aduentu sibi namq; suo parit ille salutem
Sæpe, tuas potum qui venit hospes aquas)
Vos illâ saluere iubet mea musa salute,
Quam pota innumeris vestra fluenta ferunt,
Languida qui varijs vexati corpora morbis
Poscentes vestram grex miserandus opem,
Ad vos certatim per mille pericula currunt
Orbis ab Eois, occiduisq; plagis.
Macti & vos animis, neq; enim pudor vllus vtriuis
Amborum titulis damna vel vlla ferat
Quod vestrū vtrumuis neget esse PHILIPPVS eundem
GAERINGVS medica Plinius alter ope
Insignem fontem Tungrorum, ille inclytus auctor
Quem laudat Physicæ Plinius historiæ.
Quòdue probans causas ego, quæ placuêre PHILIPPO
Huius laudator fontis & ipse, negem.
Non ideo minor est amborum vestra potestas,
Vos quia non norit Plinius ille prior.

Si

Si nosset, hos indubiè memorasset, & eius
Plena foret vestris laudibus historia.
Esse quibus meritò contentus vterq; potestis,
Vt fons Tungrorum laudibus esse suis.
Nam qui Tungrorum fontem, vos ecce Philippus
Non leuius scripto laudat & ipse suo.
Succinit & vestras mea, sed male, fistula laudes
Nam sat pro merito nullius vlla canat.
Non inflet bonus ipse suam si Tytirus, aut si
Ipse suam, dederat quem prius Ascra senex
Nam quis idem medicamen eodem in corpore credat
Aduersa inter se pellere posse mala?
Atqui (nulla quibus, nisi vos, medicamina toto
Viribus orbe valent) hoc aqua vestra potest.
Scilicet humanam sollers natura salutem
Indefessa boni quærere serua Dei
Occulta in vobis pugnantia miscuit arte,
Noxia quæ, tali mixta nisi arte, forent.
Hæc vi quippe sua, seu stringunt siue relaxant,
Seu frigefaciunt, siue calefaciunt.
Seu deniq; humectant, seu siccant; deniq; pugnent
Quæcunq; inter se, quo libeatq; modo.
Non (dictu mirum) nisi in illa feruntur, aguntq;
Pugnantem implorant quæ sibi prorsus opem.
Ergo non frigus modo vos gignentibus; ijdem
Estis sed calidis & medicina malis.
Vestraq; suppressos vt prouocat ipsa vicißim
Immodicos fluxus, sic quoq; sistit aqua.
Nempe datum hinc illi consumere posse catharros
Hippocratis graia quos schola voce vocat

 Hinc

Hinc iusto humidius cerebrum desiccat; ab illo
Quæq; grauant ortæ corpora victa lues.
Vt resoluta iacent, heu, malè membra, vicißim
Contractis neruis aut sua membra rigent
Huic Apoplexia atrox, Cephalalgia & Hemicrana, &
Vertigo capitis dat superata manus.
Huic potæq; oculosq; lauanti Ophthalmia cedit
Laxior hac æquo contrahitur stomachus.
Assumptos seruare cibos quo discat; eosdem
Nec vomitu crebro debilis eijciat
Renibus obstructis eadem Iecoriq; medetur,
Nec minus hinc pellit quæ mala cunq; fluunt.
Icteron vt schirrosq;, & quis satis omnia narret,
Talia quæ quoties vestra fugauit aqua?
Mærentes leuat illa animos & tristia corda
Excutit, & bilis quos mouet atra, metus.
Cedit & inflator ventris teterrimus Hydrops,
Externa internam sic aqua pellit aquam.
Temperat & nimium iecoris renumq; calorem
Impedit & noxas, quas calor ille creat.
Imprimis genitos vesica & rene lapillos
Eijcit, in cineres comminuitne leues?
Illa eadem mundat vesicæ atq; vlcera Renum
Abstergens, fotu consolidatq; pio
Illa Gonorrhæam manantem sistit; eamq;
Præcipue, cui non Gallica causa lues.
Non tamen & (contra multos quam credere fama est)
Turpiter infectis hac lue pota nocet.
Leprosis certè auxilium nam præbet: at huius
Est luis illa lues penè gemella soror.

Nec multis nocuit, quantumlibet hausta profusè
Quos illa induerat penula, militibus.
Nunc tamen ambiguum maneat noceátne, iuuétne
Cætera nos eius dona referre iuuet.
Prouocat illa igitur muliebria menstrua pridem
Suppressa, & nimium sistit vbi illa fluunt.
Ventricolásque necat vermes pellitque per alui
Lubrica, deiectis qua via nota cibis.
Quin & paulatim putridis de mensibus ortas
Serpentes vteris proijcit illa sinu.
Monstra lacertarum fœdam referentia formam
Longa (nefas) vnum, non minus atra pedem.
Ac steriles multas inopina prole beauit:
Non tantum ægrotis auxiliata fuit:
Singula sed captus cur circumuector amore?
Qui melius canat hæc ipse PHILIPPVS erit
Ille quidem patrijs primò sermonibus vsus,
Vestra plebs dotes nosse vt & ipsa queat.
Quas vobis petulante velint qui tollere lingua
Auersos Charitum Peieridúmque choro,
Doctior, & vero mendaces arguit ore:
Dignus eo Bacchi qui mera dona bibens,
Ne miseris vestræ desint languentibus vndæ,
Incolumis totidem viuat in orbe dies.
Principe sub vestro, & sacrorum antistite eodem
Principibus Bauaris Austriadisque sato.
Quot vestri & potrix vobis anus accola, libri
Fine sub extremo quam citat ille sui,
Et cuius post sera liber quoque fata legatur
Inde per ora virum fama perennis eat.

Dominici Lampsonij.



DE
RVI



communer
taxat, qui a
priam.

Commu
rositatibus
in aquæ gu
lectæ, inqu
tem peren
cum illius
succedent
ne, nihil h
nostro sit a
que physic

Particu
nerationis



DE MEDICATORVM FONTIVM ORIGINE IN GENERE.

Cap. I.

FONTES medicati, ſeu minerales, tam frigidi, quàm calidi, duplicem habent originem; vnam quidem omnibus cuiuſuis cõditionis, aut naturæ fontibus communem; alteram verò, ſingularem, illis duntaxat, qui aliquâ facultate medicâ conſtant, propriam.

Communis eſt, quâ aër in terræ cauernulis, poroſitatibuſque contentus, frigore eiuſdem terræ, in aquæ guttulas condenſatur, quæ in vnum collectæ, inque communem defluentes alueum, fontem perennem conficiunt, nouo continuè in locum illius, qui in aquam conuerſus effluxit, aëre ſuccedente. De hac fontium communi productione, nihil hic dicemus amplius, tùm quod à ſcopo noſtro ſit aliena, tum quòd ex Ariſtotele, cæteriſque phyſicis ſatis ſit nota.

Particularis verò fontium medicatorum generationis modus, is eſt, quo aqua ſimplex mode

do iam dicto procreata, medicis imbuitur facultatibus, aqua namque per longos, eosque amfractuosos terræ meatus decurrens subterraneorum, per quæ delabitur, vires acquirit, secumque affert, & vnà etiam interdum illorum substantiam; vt ex sequentibus euidentius constabit. Subterraneorum autem, tot ferè sunt genera, quot sequenti tabulâ explicantur.

Subterranea, quæ aquas simplices medicatas reddunt, sunt diuersorũ generum, aut enim sunt.

- Terræ; vt Bolus, Terra lemnia, sigillata dicta, Ochra, Rubrica, creta, &c.
- Liquores siue succi congelati; vt Sulfur, Alumen, Bitumen, Sal, Nitrum, Chalcanthum, Chalcitis, Mysi, Sori, Melanteria, Chrysocolla, Hydrargyzon, Sandaraca, &c.
- Metalla, vt Aurum, Argentum, Aes, Plumbum, Stannum, Antimonium, Cinabaris.
- Lapides siue fluores, vt Crystallum, Berillus, Gagates, Marmora, Pumex, Marchesita, Magnes, Hæmatites.
- Radices arborum, & aliarum plantarum; à quibus nonnulli fontes vires Medicas, aut venenatas contrahunt.
- Ignis subterraneus, vapor aut exhalatio.

Hæc omnia, magnum inter aquas medicatas discrimen constituunt. Sunt enim nonullæ frigidæ, calidæ aliæ, hæ medicatæ, illæ venenatæ. Italia & Hungaria fontes habent, qui omne, quod immit-

titur

titur animal, enecant. Reperiuntur alij adeo corrosiui, vt 24. horarum spacio, equi ferramentum dissoluant, & consumant. Sunt alij qui ferrum omne in æs vertunt. Malmundarij in ditione Leodiensi fons est, cuius aqua certis anni mensibus, in lapidem pumici similem vertitur. Tot itaque cum sint fontium differentiæ, neminem latere oportet eundem omnium vsum esse non posse, nonnulli namque in balneis tantùm, corpus exterius afficiendo, vsui sunt, alij in potu duntaxat vires suas exercent, alij & potione, & lauacro conueniunt. Cùm autem aqua nulla medicata euadat absque vnius aut plurium ex subterraneis mixtione, sequenti capite, quæ nam fossilia per nos inuenta, & ab ipsa aquâ spadanâ separata sint, declarabimus. vt ex eorum contemplatione rerum naturalium indagatores generalem harum aquarum vim assequi valeant.

De Fontibus acidis Spadanis particulatim, ac de fossilibus in eisdem repertis.

CAP. II.

QVamuis fontium acidorum, non tantùm in vico Spa, sed & in totâ reliquâ arduennâ magnus sit numerus, virtute tamen separãtur, à duobus hisce celeberrimis in ipso pago Spa, & prope ipsum scaturientibus, quorum alter Sauenir dictus, dimidij miliaris spacio à pago seiunctus, è saxo collis cuiusdam nemorosi prorumpit, alter in ipso

ipſo pagi meditullio,ac foro,incolis quotidianum potum præbet, vterque ſaporis eſt acidi Quorum facultatibus, & miraculo proximis effectis à me ſæpenumero obſeruatis, publici commodi amore, ac rei ipſius dignitate permotus, cõtinere me non potui,quin tantorum effectuum cauſas diligenter inquirerem. Eam igitur rem animo verſans,opportunè in Philippum Beſanzonium medicum Pariſienſem præſtantem,& artis chemicæ apprimè peritum, incidi, qui non ſolùm ad hoc negotium vnà ſecum proſequendum me hortabatur, ſed etiã rationes, ac media rei bene gerendæ accommoda mihi comunicabat. Pluribus itaque rationib. deinceps, foſſilia ab vtriuſq; fontis aquis ſecernens, certò comperi Sauenirium ſequentia continere, Rubricam (matrem ferri) Ochran, Aes, Sulfur, Chalcanthum, (vitriolum vocant, & coperoſam) & Nitrum. Notetur autem hîc, quòd Beſanzonius opinabatur, fontem Sauenirium facultatibus, & ſubſtantiâ auri imbutum eſſe; & tum in eodem cum illo verſabar errore: poſt eius tamen à me diſceſſum, Arduennæ territorium auro gignendo minùs aptum mecum reputans; cauſis auri productricibus à phyſicis, & chemicis aſſignatis in examen vocatis, denuo rurſus harum aquarum foſſilia, maiore ſtudio ſegregare cæpi; atq; ita nihil auri hiſce aquis immixtum eſſe cognoui; errorîſque noſtri cauſam fuiſſe Sulfur, reliqua foſſilia, & vaſa chemica colore auri æmulo inter coquendum inficiens, clarè oculis conſpexi. Quod ad alterum Pohon-

Pouhontium (ſic namq; Arduennæ fontes medicati potabiles, à potando, opinor, vulgò appellantur) hunc etiam, vti priorem, examini ſubieci; & ferri, Aeris, Plumbi, Chalcanthi, Sulfuris, Aluminis, Nitri, Ceruſæ, & Rubricæ participem inueni.

De duorum eorundem fontium differentia.

CAP. III.

ETſi vtrumque horum fontium eiuſdem naturæ foſſilia continere compertum ſit; horum tamen in vno, & altero diuerſa proportio, vnà cum ignobilibus aliquot foſſilibus, quibus pagi fons Saueniriuṁ ſuperat, inter hoſce fontes eiſdem facultatibus præditos differentiam, quæ eſt inter maius, & minus, conſtituit. Saueniri namq; aqua foſſilium ſpiritibus, ſiue exhalationibus referta, alijs aquis, etiam ignis operâ vaſis chemicis extractis, leuior exiſtit; plus etiam de foſſilium quidem viribus, de ſubſtantiâ verò minus participat, eaq́; de cauſa validiùs venas penetrat, citiuſq́; vires ſuas perficit, quàm fons Pagi, vnde etiam à ſcaturiginis loco, ſine virũ amiſſione, tranſportari nequit, & vel ad pagum vicinum ſolummodò tranſlata, grauior efficitur; amiſſis nimirùm in itinere ſpiritibus, leuitatis aquæ cauſis, quibus deſtituta, ponderis maioris redditur; quod & in cadauere obſeruamus, quod viuente corpore grauius effici, ob vitalium ſpirituum priuationem omnibus mani-

festò constat. Neque solum circa pondus mutationem patitur huius fontis aqua, si aliò transferatur, sed etiam mensurâ minuitur, quæ namq; spiritu turgent maiorem locum occupare solent.

Alterius fontis in Pagi foro scaturientis aqua plurium quidem particeps est mineraliū, sed magis terrestrium, & ob id ab altera illa leuitate vincitur; estque, quàm illa, tardioris operationis, & maioris astrictionis; etiamsi ventrem paulò efficatiùs prouocet, nitri videlicet intestina stimulantis (cuius maiorem Sauenirio quantitatem recipit) ratione. Et, vt verbo dicam; Sauenirij aqua substantiæ subtilitate, leuitate, validiore penetratione, celerioreque per hypochondria delatione, atque operationis prompta magis executione, præstat. Contrà, Pagi aqua crassioris est substantiæ, ponderosa magis, ampliore indigens tempore in effectuum productione, & minùs aperitiua. In genere tamen vtraque easdem occupat facultates, eius duntaxat, quod maius, & minus est, ratione differentes, ita, vt, qui à Pago Spa absunt paulo longiùs, pro Sauenirij aqua, Paganum potare possint.

Refutatio opinionis eorum, qui fontibus Spadanis Chalcanthum immisceri negant.

CAP. IIII.

ANtè quàm horum fontium vires explicemus; necessarium iudicaui demonstrare, Chalcanthum, siue atramentum sutorium, vnà cum alijs fos-

fossilibus actu ipsis fontibus inesse. Priusquàm autem hoc aggrediamur, argumenta eorum, qui in contrariâ sunt sententiâ, refutare consultum erit; quæ duabus præcipuè innititur rationibus. Prior est: Si, inquiunt, Chalcanthum his aquis misceretur; insignis certè caloris & acrimoniæ esset particeps; Altera; bibentes, inquiunt, has aquas à notabili hac acrimoniâ, insigniter offenderentur. At cum ex illius potu neque calorem, neque acrimoniam notabilem percipiant, imò magis alleuari se sentiant; quo pacto poterit chalcanthum huic aquæ misceri? Atque hæc quidem illorum sunt argumenta: Quibus sic responsum volo. Aquæ medicatæ, etsi viribus fossilium, per quæ decurrunt, imbuantur, eas tamen, non nisi imminutas, debilitatas, & non integras, sed refractas, retusasq; obtinent; præsertim quando aquam, per venas subterraneas contrarijs inter se qualitatibus præditas, percolari contingit, vti in Spadânis accidit, in quibus Chalcanthi calor, frigore ferri, Rubricæ, aeris, & aquæ simplicis, (quæ quantitate omnia fossilia sibi immixta superat) contemperatur, atque ita horum frigus aliorum calorem mitigat, iuxta axioma Galeni, Contrariorũ mixturæ qualitatum excessus frangunt. Quamuis namque Chalcanthum & Sulfur in tertio gradu calefaciãt, non ob id certè infertur, aquam, quæ hæc in se continet, eundem caloris gradum obtinere, reperiuntur enim aquæ sulphuratæ, quarũ aliquæ frigidæ sunt, aliquę tepidæ, nõnullę quàm maximè calidę,

& inter has aliquæ vſque adeò feruent, vt ouum in eis facilè coquas, & capum deplumare poſſis. Quæ varietas inde prouenit, quod hæ multum Sulfuris, illæ parum poſſideant, vel quòd Sulfuris, & aliorum calidorum qualitas frigidorum permixtione temperetur: quod in fontibus Spadanis euenire diximus. Sed quę de hac controuerſiâ reſtant dicenda in calcem libri reijcientes, ſatisfacturi hoc loco videbimur, ſi fontes Spadanos non minùs Chalcanthi, quàm aliorum foſſilium, participes eſſe demonſtrauerimus. Inprimis, quicunque guſtum habentes non deprauatum aquam hanc bibunt; tribuunt illi atramenti ſcriptorij ſaporem, qui certè chalcanthi (latinis atramẽti ſutorij) eſt. Id ſi cui libeat experientiâ diſcere, poterit is in aquæ ſimplicis cyatho modicum chalcanthum diſſoluere, eamque deguſtare, deprehendet certè in tali mixturâ ſaporem aquę Spadanæ. Idem fiet ſi olei è chalcantho arte chemica parati, guttæ aliquot in cyatho aquæ dulcis immiſceantur: ſapor namque aquæ Spadanæ linguæ offeretur. Præterea foſſilia ex aquâ horum fontium ſeparata non alium, quàm chalcanthi, ſaporem linguæ exhibet, &, quod amplius eſt, chalcanthum ex hac aquâ ſeparari poteſt per modum ſegregationis ſalium. Poſtremò ſententiam noſtram ſummoperè comprobat, quòd paucis abhinc annis in locis fontibus hiſce vicinis, chalcanthi ac ſulfuris venæ, eæq; fertiles, repertæ ſint. Ex quibus profectò rationibus haud difficile eſt colligere, fontes Spadanos chal-

chalcanthum obtinere, neque tamen propterea bibentibus noxam vllam inferre, quinimò multis modis eos roborare posse, natura videlicet de salute nostrâ sollicita, in hisce fontibus, calidorum cum frigidis, astringentium cum laxantibus, aliorumque contrariorum perficiente mixtionem vtilem his, qui ritè illis vtuntur, inutilem contrà facientibus.

De horum fontium qualitatibus primis, caliditate videlicet, frigiditate, humiditate, & siccitate.

CAP. V.

QVibus cum fossilibus aquæ hæ acidæ commisceantur, certâ experientià iam didicimus, sed quâ inter se proportione componantur, neq; ego, neque viuentium quisquam (saluo meliori iudicio) intelliget vnquàm, ideo nobis manebit occultum, quem inter frigida, aut calida aquę hæ obtineant ordinem, natura hoc sibi secretum seruante. Satis igitur erit nobis, intellexisse, easdem ferri, sulfuris, chalcanthi, & aliorum participes esse, horum niterim, & qualitatum primarum, proportione permanente incerta. Similiter sufficiat experientia obseruasse, harum aquarum potu, bibentes initiò refrigerari, pòst calefieri, & desiccari: quod tamen perpetuum etiam non est. Vidi namque eos, qui primis statim potationis diebus, vsq; adeo incalescerent, vt febri vehementi corriperentur. Quæ sanè varietas non ex sola fossilium

commixtorum diuersitate nascitur, sed etiam ex bibentium dispositione variâ, Hic namque cholericus est, ille phlegmaticus, aut alterius cuiusuis temperaturæ, hic etiam debitè est paratus, ille verò minimè. Neque minus hi fontes sunt diuersorum effectuum productores, quàm sol, qui butyrum, & ceram liquefacit, lutum contrà, ac terram indurat. Dicimus igitur, aquas hasce medicatas, communiter refrigerare ab initio potionis, tandem calefacere, vniuersim autem desiccare omnes. Dico, vniuersim, nam etsi reperiantur, qui in extremâ macie, & squalore constituti, horum fontium vsu bonum habitum sibi accquisierint, id tamen ob aquæ aliquam humiditatem euenisse minimè credendum est, sed ex accidenti potius, vi scilicet aperitiuâ aquæ, hepatis, meseraicarumque venarum obstructiones nutricionem corporis, impeditâ anadosi, remorantes, & ob id maciem inducentes, reserante, ac sufficientis in posterum nutritionis causa euadente.

De qualitatibus secundis, & tertijs, quibus aquæ Spadanæ præditæ sunt.

CAP. VI.

PRimò vim habent hæ aquæ absterforiam, & incidentem, cuius interuentu humores viscidi adhærentesque abraduntur, crassi verò extenuantur. Subtilitate quoque sua & permeandi facultate, obstructiones omnes hepatis, lienis, venarũ mese-

meseraicarum, renum, & reliquorum viscerum exobstruunt, idq; chalcanthi & nitri propietate: earundem etiam partium inflammationes refrigerant, & ad temperiem deducunt; vim insuper roborandi stomachum obtinent, eamque ferri astrictoriæ facultati acceptam referunt, ita, vt inter mille, has aquas debito ordine, ac corporis debitâ præmissâ præparatione bibentes, nemo reperiatur, qui se inde offensum sentiat. Neruos quoq; roborant eædem aquæ ob sulfuris pręsentiã, præterea serum sanguinis, ac superfluos humores, cholericos, phlegmaticos, & melancholicos è corpore educunt, idq; varijs modis, per vrinam videlicet, aut per sedem, educunt fæces, atro vt plurimum viridi subinde, flauo, cæruleo, aut vario colore tinctas. Sudores etiam prouocant, & vomitum, vt & hæmorhoides, & fœminis menstra. Vidi, qui duobus aut etiam tribus eodem tempore vacuarentur modis, vti accidit cuidã paralytico, (de quo infrà mentionẽ faciemus) qui vniuersam aquam ebibitam per vrinã reddebat, cùm interim per sedem haud aliter purgaretur, quàm si pharmacum catharticum sumpsisset, & interim totum corpus sudoribus diffluebat. Matronas noui, quibus vrinæ, menses, & hæmorhoides simul profluebant. Ecce quàm sint naturæ, omnipotentis Dei prudentiâ & potestate ductæ, admiranda opera, quæ aquæ istius limpidæ ac puræ beneficio, tot, tamque inter se contrarias, eodem tempore prouocat euacuationes, id quod ars medica

ſine corporis noxâ, præſtare nequit. Neque ſolùm iſtas euacuationes efficere hæc aqua, ſed, quod magis admiratione dignum eſt, eaſdem nimis exorbitantes (vt ſequenti capite dicemus) ſupprimere poteſt.

Aduerſus quos præter naturam affectus aqua Spadana proſit.

CAP. VII.

QVandoquidem hi fontes acidi conſtant (vt dictum eſt) foſſilibus & calidis, & frigidis, aperitiuis, & aſtringentibus, mirum videri non debet, ſi ijdem morbos curent inter ſe contrarios. Experientiâ namque didici, & calidos, & frigidos præter naturam effectus, horum potu perſanari, fluxiones omnes ſupprimi, & naturales ſuppreſſas ijſdem prouocari. Primùm igitur catharros abſumunt, & cerebrum præhumidum deſiccant, & mala inde nata, vti paralyſim, & ſimilia curãt. Cuius ſanè facultatis effectum inſignem anno 1576. obſeruaui in Venerabili Dño Arnoldo Brueghel Eccleſiæ Collegiatæ in Oirſchot Canonico, qui crurium integrâ reſolutione, (quę iam brachia etiam afficere incipiebat) laborans, ad vicũ Spa ſe deferri curauit, vbi, ex conſilio noſtro præparato corpore, aquam hanc acidam bibere incæpit, cuius beneficio benigniſſimè ac affatim euacuatus eſt per vrinam, ſudores, & ſimul per aluum, adeò, vt paucis pòſt diebus tantum virium in cruribus

recu-

recuperauerit, vt ilicò ab aquæ potione è lecto surgeret,& per cubiculum absque aliquo adminiculo, obambularet; sed paulò pòst recenter acquisitas amittebat vires. Itaque cùm id quouis mane euenire obseruaret ægrotus,aquam lecto decumbens assumebat, & deinde surgens seipsum absq; famuli opera vestiebat,id quod ante aquæ potum non magis illi possibile erat, quàm per aërem volare; &, si citiùs eò accessisset,pluuiæque continuę subortæ non fuissent; certò mihi persuadeo,futurum fuisse, vt tunc sanitati restitueretur. Et quia historia hæc incredibilis videri potuisset ijs, qui præsentem ægrum non viderunt, introduxi tum in cubiculum ægroti, præter alios testes, Doctorem Besanzonium suprà nominatum,qui in libello suo de hisce fontibus huius casus meminit; sed nominis, & nationis ægroti oblitus,narrat,hoc nōbili cuidam Germano accidisse. Et quemadmodùm aqua hæc prodest paralyticis, ita etiam conuulsione, neruorumque contractione (affecta paralysi in totum contrario) occupatis vtilis est, vti certissimâ experientiâ obseruaui, in nobili quodam Gallo (si bene memini) Domino Sanseux dicto, qui colli conuulsione adeo pertinaci, & inueteratâ laborans, vt illi profligandæ nullum inueniri posset remedium, in pagum Spa profectus est,hoc,quod supererat auxiliū tētaturus,vbi nullum sentiens mali leuamen, in franciam redijt,de mali sui curatione desperans,at domi existens,aliquamq; affectus sui mitigationem sentiens,tribus

ſuccedentibus æſtatibus, ad hos fontes rediјt, & ſingulis profectionib⁹ magis, ac magis proficiens, poſtremâ, quartâ nempè æſtate, integrè curatus fuit Idem (alias omitto hiſtorias) in nobili quadam matronâ, ſimili colli conuulſione, cum capitis tremore correpta obſeruaui, quæ meo conſilio ac perſuaſu, adijt Thermas Aquenſes, à quibus, ingruente æſtiuo calore fontes Spadanos inuiſit, apud quos tranſactis aliquot menſibus, eo colli incommodo eſt liberata. Prodeſt ſimiliter hæc aqua cephalalgicis, hæmicranicis, apoplecticis, vertiginoſis, & ſimilibus. Ophthalmias curat intus ſumpta, & forinſecus oculis admota, ſtomachum roborat, & ciborum vomitum compeſcit, Hepatis & lienis oppilationes reſerat, & morbos inde natos, vtpote icteros, ſchirrſos, & alios, toties profligauit, vt ſuperuacaneum ſit pluribus id confirmare velle, Humorem melancholicum egregiè contemperat, & expurgat, vt in nobili quodam mihi familiari, omiſsis alijs, obſeruaui, qui cùm continuo quodam timore, cum mæſtitiâ inſigni ſine cauſa aliqua externa coniuncto (quod malum à Medicis melancholia hypochondriaca vocatur) vexaretur, harum aquarum vſu omnino eſt à dictis animi paſſionibus liberatus, Et, quod magis mirum videri poſſet, Gallum quendam nobilem hydrope Anaſarca laborantem, ibidem curatum vidi, quod poſteà ſepius in alijs obſeruaui. Præterea, calorem hepatis, & renum excedentem ad mediocritatem reducit, pellendis veſicæ

ſicæ calculis,& renum arenulis detergendis,ac cõ-
ſolidandis earum partium vlceribus, vix aliud
extat præſtantius remedium. Gonorrhæam ſi-
ſtit, præſertim eam, quæ luis venereæ ſymptoma
non exiſtit: quorundam enim opinio eſt, aquam
hanc exitialem eſſe lue venereâ infectis: quam o-
pinionem neque comprobare, neque refellere
hic eſt animus, cùm viderim nonnullos id genus
homines, veneris hoc honorario inſigniter dona-
tos, huius aquæ copiam penè incredibilem, per
longum temporis ſpatium abſque vllâ noxâ bibiſ-
ſe. Et, quando eadem aqua leproſis eſt ſalutaris,
quid ni & ſcabie illâ venereâ infectis? cùm hi mor-
bi inter ſe ſint admodum congeneres, Sed quic-
quid ſit, ego hic nihil ſtatuo, alio loco dubiũ hoc
determinandum relinquens. Præter dictas virtu-
tes, menſes quoq; & hæmorhoides, aquæ huius po
tu prouocantur, nimis fluentes ſiſtũtur, inteſtino-
rum lumbricos & omnis generis vermes, eadem
aqua necat, & expellit, neque tantùm inteſtinorũ
vermes deturbat, ſed & aliâ quauis corporis parte
deliteſcentes, vti paucis ab hinc annis in honeſtiſ-
ſimâ quâdam matronâ obſeruaui. Res dictu mira,
mulier erat annorum, quantum conijcere potui,
plus minus quadraginta ſex, inciderat ea ob diu-
turnam menſium ſuppreſſionem, in hydropem
Aſciten, à quo vt liberaretur, octo iam annis peri-
tiſſimorum medicorum diligenti curâ vſa fuerat,
ſed cùm optimis quibuſq; remedijs nihil profice-
retur, me ſuaſore, aquas inuiſit Spadanas, quarum
potu

potu per aliquot septumanas continuato, cœperũt fluere menses; & tandem aqua satis copiosè, ac tertiò vermis quidam semicubiti longitudine, quadrupes, caudâ oblongâ, figurâ ferè lacertæ, cineritij coloris extra aquam, in aquam verò proiectus colorem exhibebat subrubeum, Postremò, octo, aut nouem similis figuræ, & coloris vermiculi, sed exigui, prodierunt. In summâ tantum illa saburram serosorum excrementorũm ex diuturnâ illâ mensium suppressione natorum copiam excreuit, vt ilicò venter, qui antea in maximam molem sublatus fuerat, detumesceret; ęgraq; statim melius habere cæpit, & in præsentiâ satis commodè habet. Vteros quoq; tumentes desiccat, & in tantum corroborat, vt mulieres quàm plurimæ (quarum aliquot noui) à duodecim & aliquæ à quatuordecim annis steriles, aquam hanc bibentes, præter spem ilicò conceperint; quod plurimis, eisque verissimis testimonijs confirmare possim; quemadmodùm & de alijs varijs casib⁹, qui aquæ huius vsu felicem habuerunt exitum, quos, ne Lectori sim molestus, silentio præteribo, remittens talium historiarum cupidos ad vicum Spa, vbi earum obseruandarum quotidiana non deerit occasio.

Quæ corporis præparatio ante harum aquarum vsum sit præmittenda.

CAP. VIII.

ORiginem, fossilia, & facultates horum fonti-

um

um acidorum cognouiſſe nihil proderit illi, qui legitimum eis vtendi modum ignorauerit. Sicut enim non medicamenta modò, verùm & cibaria ſolita, citrà ordinem, & menſuram, extraque tempus debitum ſumpta, plus damni, quàm vtilitatis afferre ſolent, ſic etſi aquę, niſi certo tempore, certâque diei horâ, modo debito, & menſurâ conueniente, corpore primùm ex conſilio periti Medici præparato bibantur, offendere magis, quàm prodeſſe ſolent. Ne quis igitur, ob illegitimum harum aquarum (quæ multis fuere ſaluti) vſum offenſus, eas calumniandi occaſionem arripiat, nó abs re hoc loco verum, debitumque earum vſum adiungemus. Primùm igitur, quia ægrotantes, morbi, quo affliguntur, naturam, ſiue eſſentiam, ſedem, aut locum affectum, & cauſas internas ignorant; debebit eorum quiuis Medico alicui prudenti, malum ſuum detegere, ex eoq; deinde intelligere, vtrum hæ aquæ ſibi prodeſſe poſſint, nec ne; & ſi eas profuturas exiſtimet; curet ſibi, medicamentum, educendis ſtomachi, inteſtinorum, venarum meſeraicarum, aliarumque vicinarum partium excrementis commodũ præſcribi; quod pharmacum non ſit vehemens, ſed ex benedictorum vulgò dictorũ ordine aliquod, idq; morbo, huius cauſæ, & ſumentis naturę, ex medici iudicio adaptatum, quod quidem pharmacum vel domi ſumatur, vel, quod magis præſtat, in ipſo loco Spa: aut, ſi ad fontes proficiſcenti iter faciendum ſit prolixius, domi vnum ſumat, & in Spa alterum.

Hæc præparatio eſt neceſſaria, ne fortè aqua humores peccantes inprimis vijs offendens, illos ſecum verſus renes, nephritide fortaſſe vexatos, veſicam calculo affectam, aut aliud malè affectum viſcus, eoque nomine debilius, abripiens, malum inſigniter vel augeat, vel nouum producat. Præterea ſi corpus eſt plethoricum, vena aliqua aperiatur, & ſanguinis tantum educatur, quantum medicus corā adſtans conuenire iudicabit. Aut, ſi quid phlebotomiam impediat, tot eius vice applicabuntur ventoſæ ſeu cucurbitulæ, quot applicari expediens videbitur. Similiter etiam, ſi corpus inueteratâ aliquâ venarum meſeraicarum, hepatis, alteriuſue viſceris oppilatione detineatur, tum, ante huius aquæ vſum, proderit oppilationes illas reſerare, & humores peccantes in lapijs, apozematibus, aut decoctis congruentibus præparare, & præparatos pharmaco deinde aliquo expurgare. Quæ omnia iuxta medici prudentis iudicium fieri debent. Ita præparatus æger, vbi ad hos fontes peruenerit, diem vnum, atque alterum in quiete, donec laſſitudinem omnem ex itinere contractam depoſuerit, tranſiget, deinde omnia alia negotia poſtponens, ſummi medici, qui omnis boni eſt auctor, auxilio inuocato, fontium liquorem adeò efficacem quantâ poterit maximâ cum animi hilaritate potare incipiet.

Quo anni tempore, quâq; diei horâ aquæ Spadanæ potus sit magis congruus.

CAP. IX.

QVi aquæ huius efficaciâ frui desiderat, is anni tempus oportunum, ac diei horam magis accommodam deligat, oportet. In genere autem omne id tempus, in quo aer serenus extiterit, ad hãc rem est accommodum. Contrà verò, constitutio omnis pluuiosa, nebulosa, & obscura, vires huius aquæ obfuscat. Non enim per pluuias tantùm, hi fontes vires suas amittunt; verum etiam aere crasso, nebuloso & humido existente. Hic etenim aquæ se immiscens, eius facultates minuit, & natiuum gustum adulterat. Atq; hinc est, quod biben tes tali tempore mirantur, aquam solito minus acrem existere; nullâ videlicet præcedente pluuiâ, quæ acrimoniã fontis represserit. Cùm igitur aer communiter in æstate, & autumni initio sit clarior, calidor, & siccior, quàm reliquis anni temporibus, dicere possumus, has anni partes, bibendæ aquæ maximè esse oportunas. Non quòd veris tem pus, aere existente sereno, & per hyemen, dum omnia gelu rigent, eadem bibi non possit, sed quia in æstate purior existit aer, & temporis constitutio firmior, corporaq; bibendæ aquę sunt aptiora, fit, vt idem tempus maximè sit idoneum, quamuis & tunc etiam, ægri per diem vnum, atq; alterum cogantur, propter ingruentes pluuias ab incæptâ diætâ

diætâ desistere. Si namque de nocte pluerit, nihil aquæ bibendum, donec tota pluuia effluxerit, id quod sapor fontis indicabit. Et quantumuis aqua sit clara, limpidaque; non ideo tamen quâuis horâ illam potare expediet, sed eam diei partem, quâ ventriculus ab omni cibo vacuus extiterit, expectare oportet; id quod communiter accidit matutino tempore: tum namque expletis coctionibus, magis, quàm reliquo diei tempore, vacuus est, estque idem tempus exercitando corpori opportunissimum, cuius rei in potu aquæ Spadanæ maxima est necessitas. Licebit igitur post ortũ solem, euacuatis primùm corporis excrementis cõmunibus, per sedem, vesicam, nares, & palatum; potionem aggredi, & qui robusto sunt stomacho, post tres à prãdio sumpto horas, rursus aquæ portionem, sed matutina dimidio parciorem bibent, qui verò languidum habent ventriculum & tardiùs concoquentem, matutinâ potione contenti erunt, & hi cæteris tardiùs prandebunt, vtpotè vndecima, aut duodecima demum hora.

Quo modo, quáue mensurâ hæc aqua bibenda sit.

CAP. X.

QVi aquæ huius acidæ potu sanitatem amissam recuperare, aut præsentem conseruare desiderant, summo mane fontem Saueniriũ dictum accedant, ex eoque hora circiter quinta, citiùs, tardiúsue, pro temporis ratione, bibere incipiant.

piant. Qui pedibus, aut toto corpore ſunt imbecilliores, equo, vehiculo, aut lecticâ eò ſe transferri curent; paralytici verò & qui in cubiculo ſe continere coguntur, eiuſdem fontis aquam per famulos recenter allatam, bibant. Ditiores, & qui aërem ferre poſſunt, quiq; equi, aut vehiculi concuſſionibus offenduntur, in ſella ſe portari patiantur. Ad fontem vbi ventum fuerit, ſi quis ſe ex itinere laſſum (eſt namq; aſperum, ac difficile) ſentiat, paululùm quieſcat; deinde bibere incipiat, inter hauſtum, & hauſtum obambulando. Vt autem flatibus, quos actualis aquæ frigiditas fortè produceret, eatur obuiam: poſt aquę potum, aut inter bibendum, aniſorum, aut coriandrorum pugillus vnus, aut alter aſſumatur, Quantitas aquæ bibendæ non omnibus eadem eſſe debet, ſed hic multum, ille parum bibat, aquæ portionem ventriculi viribus commenſurando, eo vſq; namque bibere licet, donec ſtomachus aggrauari non videatur, non tamen primis ſtatim potationis diebus, eo quòd ab exiguâ doſi auſpicari conueniat, vtpote, primo die ſufficiet vnam libram medicam bibiſſe; ſecundo, vnam & dimidiam, aut duas; atque ita deinceps portionem prima die ſumptam quotidie dimidiatâ librâ, vncijs octo, aut librâ integrâ, augere expediet, donec ad eam menſurâ ventum ſit, quæ ſufficiens videatur, & interim ſtomacho non ſit moleſta, quæ quidem menſura non omnibus, vt dixi, eſt vna, quibuſdam namque ſufficiunt quatuor, alij facilè bibunt quindecim aut ſe-

decim. Vidi ciuem Leodienſem anno 1576. qui ordinariè bibebat mane libras triginta duas, & à meridie fere totidem, abſq; noxâ vllâ, vltra quantitatem ſatis inſignem, quam abſque vino bibebat in prandio, & cœna. Admonitos hîc volo omnes, vt in bibendâ eâ aquæ quantitate quam ſibi ſtatuerunt, non multum temporis abſumant; ſed totam potationem dimidiatæ horæ, aut trium quartarum vnius horæ ſpacio abſoluant, ne primò bibita tranſmeet, priuſquam poſtremò ſumpta operationem ſuam aggrediatur. Quantitatem aquę conuenientem compertam in tres ſeptimanas plus minus continuare oportebit, pro eò ac medicus pro ratione morbi expedire iudicabit. Laudo tamen, vt æger, antequam hoſce fontes deſerat, per quinque aut ſex dies quotidie à ſolitâ portione aquæ, dimidium libræ, octo, aut decem vnicas detrahat, idq; ob cauſas alibi declarandas.

De cibo, & potu aquam hanc bibentibus conueniente.

CAP. XI.

CIbus à conſueto non multum differat: ſit tamen boni ſucci, facilis digeſtionis, & ſimpliciter præparatus; non aromatibus, aut pinguedinibus, vti arte coquorum fieri ſolet, variè conditus mixtus. Inter alia autem cibariorum genera, conueniet caro caponum, pullorum, perdicũ, columborum, Gallinaceorum, phaſianorũ, Gallinarum ſiluestirum, minutarũ auicularum, veruecum, vitulorum, lepuſculorum, cuniculorum, & ſimiliam. Magnâ autem ex parte hæc ipſa aſſa magis conueni-

venient; ſiccâ tamen intemperie laborantibus, & humidiori victui aſſuetis, licebit elixa abſq; aliorum mixturâ exhibere. In piſcium genere optimi habendi ſaxatiles, lucij, truttæ, vmbræ, percæ, gobij, etiam aſſi, aut modicè frixi, aut cum aniſo, hyſopo, mentâ elixi. Abſtinendum à lardo, & laridatis, & carne porcinâ, bouinâ, anſerum, anatum, leporum, ceruorum, & alijs venatorijs, ſeu ferinis carnibus, vt & à porcellis; & inter piſces, euitandæ anguillæ, tencæ lampretæ, & ſimiles. Conſulo etiam, vt exta animalium, fructus, lac, & lacticinia à menſa abdicentur. Caſei vices ſuppleant cortices citri ſaccaro conditi, aniſi, coriandri, fœniculi ſemina, etiam quibuſdam pomum, pyrumue aſſum modico cinamomi conſperſum cõcedi poteſt. Et, quod magni intereſt, vnumquemque hic admonitum volo, vt cibariorum diuerſitatem, quæ non minus noxia exiſtit, quàm varia eorundem mixtura, euitet. Potus ſit vinum rhenanum, aqua fontis, qui in pagi planitie emergit, dilutum. Hora decima antemeridiana prandendum; & ſexta pomeridiana cænandum, modò ſtomachus cibum in prandio ſumptum concoxerit; quod ſi non fecerit, cœna ſit tardior, aut nulla, à prandio corpus ne exerceatur: quod tamen fieri licebit ante prandium, & cœnam iuxta præceptũ diuini hippocratis ſexto epidemion, ſectione quarta, aphoriſmo vltimo, vbi ait; Labores cibos antecedant. Quamuis aũt exercitium obſit à prandio; nõ ob id tamen licet obtorpeſcere, aut obdormire, ſed iucundis

recreationibus, aut chartarum lusu tempus terere ad horam primam vsque, quo tempore lento gradu versus fontem Saueniriu m redire oportet.

De symptomatibus, quæ eueniunt, quamuis rarò, aliquibus acidas hasce aquas bibentibus.

CAP. XII.

ETsi hactenus viderim neminem, qui supradictas conditiones obseruauerit, huius aquæ potu euidenter offensum; quibusdam tamen, maximè debilibus, accidentia aliqua obueniunt; vt aquæ intra corpus retentio, ventris inflatio, & ijs, qui calidiore sunt hepate, ventris constipatio. Vt igitur ijs, qui huiusmodi malis torquentur, rem gratam præstem: rationes maxime faciles hîc subiungam, quibus absente medico, ab eisdem malis se liberare possint. Primum igitur aqua bibita expelletur per vrinam, sudores, aut sedem exercitio aliquo vehementiore, & solito diuturniore. Id si parum profuerit; vtile erit, ad enêma aliquod acrius recurrere: quod si hisce medijs non euacuetur, & venter magis intumescat, (id quod rarò tamen accidit) præstabit hisce fontibus valedicere. Inflatio ventris ijs præsertim accidit, qui ventriculum sortiti sunt frigidum ac languidum. Tales in frequenti vsu, habeant semina calida, vtpote anisi, coriandri, carui, cumini, & similium, præsertim tempore potionis matutinæ, & in fine pastuum. At vbi inflatio fuerit ingens; enêma carminatiuũ,

vti

vti practici loquuntur, inijcere oportebit ex consilio Medici periti, qui pro necessitate plura præscribere poterit. Qui aluum habent astrictam, vtantur cibarijs lubricantibus, vt ferculo è maluâ, betâ, spinaciâ, cerefolio, vuis corinthiacis, & similibus, prunis damascenis, cœtis, vitellis ouorum iusculo aliquo dissolutis, quibus non proficientibus, ab aquæ potu per diem vnum abstinendum, vt interea bolum cassiæ fistularis aut Mannam assumere, aut, horum loco, clysterem emollientem inijcere liceat. Huius anni 1584. æstas calidior, ac siccior fuit, & ob id aqua spadana solito fortasse subtilior, primis potationis diebus suâ penetrandi vi, & subtilitate, fluxiones diuersas excitauit, ita vt nonnulli podagrâ, chiragrâ aut ceruicis dolore afficerentur, at nullo alio, quàm aquæ potu, adhibito remedio, euanuit dolor. Hisce igitur aut similib. accidentibus magis increscentibus, vnusquisq; sanitatis suæ cupidus Medici periti præceptis se accommodabit.

Responsio ad friuolas eorum, qui has aquas vituperant, rationes.

CAP. XIII.

PRiusquàm huic tractatui finem imponamus, operæ præcium facturus mihi videor, si crassorum quorundam non hydropotarum, sed œnopotarum potiùs argumenta, quibus adeo nobilium fontium famam obscurare nituntur refutauero.

Primò; Non aqua, inquiunt, Spadana morbos curat, sed exquisita victus ratio, continuo sociata exercitio. At respondeant, obsecro mihi isti, quænam causa fuerit, cur paralyticus ille, de quo capite septimo egimus, haustis duodecim huius aquæ vncijs è lecto surgeret? seipsum vestiret, & per cubiculum ambularet? Certè nulla fuit alia horum effectuum causa, quàm aqua Spadana. Corpus namque nullo pacto exercebat, membrorum motu omnino priuatus; neque etiam victus ratio eorundem effectuum causa fuit; quia, priusquàm hos fontes accederet, per plures menses exquisitissimam obseruauerat victus rationem; cuius rei causa apud quendam ex peritissimis Medicis louaniensibus hospes egerat. Deinde visi fuerunt innumeri Belgæ, Germani, Itali, Hispani, & aliarum nationum homines, qui, obseruata accuratissima diæta, præstantissimisq; , quæ excogitari poterant, auxilijs frustra adhibitis, tandem ad hos fontes accesserunt; ibidemque perfectam malorum curationem, aut saltem mitigationem insignem, senserunt. Possem hîc plurimas, easq; pulcras historias, in eorum, quę dicta sunt, fidem subnectere, sed res adeò est clara, vt vlteriore probatione non indigeat. Alij ab altera parte insultantes, dicunt, aquas has adeò esse mordaces, ac corrosiuas vt intestina quàmmaximè infestent; id quod sanè aliqua ex parte verisimile videretur, si hæ aquæ solis constarent fossibilibus calidis, vtpote chalcantho, & nitro, nullaque in se continerent

alia

alia frigore non minùs, imò ampliùs excedentia, quàm chalcanthum, & nitrum calore. Scio, in Hungaria esse fontem, qui viginti quatuor horarum spacio equi ferramentum consumat; in tantum abundat chalcantho liquefacto, & pyritis (marchasitam vocant) qualitate. At nostri hi fontes plus habent frigoris, quàm caloris, ob ferri, rubricæ, & aliorum admistionem; vt interim aquam simplicem (quæ in quantitate reliqua omnia commixta superat) omittam; vsque adeò vt ex viginti quatuor libris aquæ Spadanæ, non vltra vnam drachmam chalcanthi extrahere quis posset. Et cur adeo metuitur chalcanthi acrimonia? cùm Dioscorides lib.5.cap.23. præscribat aduersus ventris lumbricos drachmam vnam chalcanthi puri, aut cum melle mixti. Neoterici, vt Mathiolus, Andernacus, Gesnerus alijque complures, Nephriticis, Peste ictis, Apoplecticis, & alijs morbis vexatis oleum chalcanthi exhibent; cuius tamen guttula vna plus habet acrimoniæ, quàm decem, aut viginti libræ aquæ Spadanæ. Sunt præterea nonnulli, qui dicunt, eos, qui aquam biberunt non diu superuiuere; quam calumniam multis redarguere minùs est opus; cùm vici Spadani incolæ manifestò contrarium ostendant; qui in continua penè sanitate vitam in extremam senectutem protrahunt; quorum aliqui centesimum excedunt annum. Memini, me præsente, sepultam esse vetulam, quæ annos centum & viginti attigerat; cùm tamen ad mortem vsque, optima semper

fuisset valetudine, nullo interim alio potu, quàm suo Pouhontio, vsa.

Et cum nihil prætermissum videatur, quod huic tractationi adiungi necessariò debeat; finem faciam, Deum omnis medicinæ auctorem orans, vt meus hic labor miseris ægrotantibus fructum aliquem, ac solatium afferre possit.

FINIS.



THO-







THOMAE RYETII MEDICI, PRAECEDENTIS LIBELLI INTERPRETIS OBSERVATIONES IN AQVAS Spadanas.

Methodus certò cognoscendi, quæ & quot mineralia, aquæ Spadanæ permiſceantur.

Obſeruatio I.



PLVRA eſſe, tam mineralia maiora, metalla dictà, quàm concretos liquores, ſiue ſemimetalla, aut ſpiritus, à quibus in occultis terræ ſpiraculis oberrans, ſuas, tam inſignes, humanam fidem penè ſuperantes facultates depromit aqua ſimplex, tum in reliquis acidulis, tum in his præcipuè duorum fontium Spadanorum aquis, tum effectuum ab huius libelli auctore expoſitorum maxima varietas, tum etiam ex diuerſis mixtus ſapor, ex ipſius auctoris aſſertione, hactenus omnibus, etiam doctis, indubitatum fecit. Superuenerunt tamen nunc temporis nonnulli, philoſophiæ naturalis principijs

non mediocriter imbuti, qui ſimplici hac aſſertione non contenti, tantum mineralium numerum non admittunt, quorum alij vnicum guſtandi ſenſum, tanquam qualitatum exquiſitum indagatorem conſulentes, cùm præter acidum ſaporem, atramenti ſcriptorij ęmulū nōnulli linguam vellicanti punctioni, & aſperitati iunctę, ac fumoſum quendam fauces & caput in ipſa potatione ferientem nidorem, vel diligentiſſimè inueſtigantes reperiant, Chalcantho eundem ſaporem, odorem ſulfuri tribuentes, certæ horum duorū mixtioni, & non metallis aliquibus, aquæ huius vires aſcribendas aſſerunt. Alij non ſoli guſtatui fidentes, quoniam ſubſtantiam quandam, pulueris minuti inſtar, aquæ innatantem percipiunt, rem certò ſe ſcituros exiſtimant, ſi aqua ipſa coctione in vaſe duplici exhalanda, aut chemicis inſtrumentis ſublimanda, ſubſidentem ſubſtantiam in examen traxerint; quod non ſine labore conſecuti, terram Ochræ paulò rufioris colorem referentem, primo linguæ contactu, lemniæ in modum inſipidam, poſt tamen paullùm, ſalſedinis acidæ, linguæ nonnihil imprimentem inueniunt. De rubrica igitur & ſulfure, ob colorem inter rubrum & flauum ſeu luteum, medium; & de chalcantho, propter ſaporem participare, & non de alijs, certò ſibi perſuadent. Atq; hac ratione præcedentis libelli auctorem ſi alijs rationibus mineralium cæterorum præſentiam oſtendere non poſſit, vanitatis condemnare conantur.

Has

Has rationes vsq; eò plerisq; persuasisse vereor,
vt concludant,& credãt rem ita se habere. Et quo-
rum animis vt hunc euellam scrupulum,& aucto-
ris (cuius ego dum hæc conderet eram discipulus)
nomen à calumniâ liberem, decreui hac breui ap-
pendice, methodum & viã cuilibet naturalium re-
rum studioso ob oculos ponere, qua, tum in his,
tum in alijs mineralibus fontibus, facillimè etiam
absq; aliquâ destillatione, aut aquarum coctione,
certò ex paucis sensu cognitis colligere possit, quę
nam & quot fossilia vnicuiq; aquę medicatæ, vires
suas, & energias largiantur. Quò autẽ facilius hæc
& clariùs, ab omnibus intelligantur, obseruãdum
inprimis est, nunq̃ vel rarissimè, effodi è venâ suâ
minerale aliquod sincerum, ac omninò purum,&
cum quo non alterius generis fossilia coniuncta &
permixta reperiantur. Calor enim subterraneus
variè subiectam materiam, terram videlicet atque
aquam mouet, miscet,& coquit, ac pro diuersa mi-
stione, & coctione, plures, & diuersi specie spirit⁹
sub terra concrescunt, & multę terrarum euadunt
differentiæ. Exemplo in perfectis metallis fit fer-
rum, cuius minera, ob dictam causam, rubricã sem
per & ochram adiunctam habet. Sic etiam succo-
rum concretorum minerę, impurę,& alijs permi-
xtæ sunt, pluresq; succorum species in vnâ eâdéq;
venâ, indifferenter inuicem cõmixtę inueniuntur.
Sunt n. vt plurimũ, inęqualiter à calore excocti, a-
liquasq, partes exquisitè subactas, alias crudiores,
quę paulatim excoquerentur continent, vt Gal. 9.

de

de ſimpl. medicam. facult. de chalcantho in chalcitim, & huius in myſi, caloris ingeniti opera conuerſis, manifeſtè teſtatur. Hac habitâ animaduerſione, agedum, mineralia ſingula, per quorum venas peruadere aqua ſimplex in hiſce fontibus ab auctore aſtruitur, examinemus, à manifeſtioribus exorſi. Tria hæc, rubricam, chalcanthum, & Sulfur à contrariæ ſententiæ auctoribus, tum guſtandi, tum alijs ſenſibus ſatis cognita, aquæ huic ineſſe ſupponens; reliquorum foſſilium, quæ ab auctore aſſeruntur, pleraque etiam adeſſe, neceſſariâ quadam conſequentiâ, probare conabor.

Primùm itaque, rubrica, quæ aquæ profluentis impetu, ab ipſa ferri minerâ abſterſa, & aquæ com mixta, factâ eius reſidentiâ, fontis alueum, & vaſa, in quibus aliquandiu conſeruatur, rufo colore inficit, ferrum huic aquæ adeſſe euidenter oſtendit. Eſt enim rubrica nihil aliud, quàm foſſilis quædam terra, ex flauâ in rufam caloris actione degenerans; quæ in ferrarijs fodinis ſemper ipſi ferro coniunctiſſima (vnde & eius mater dicta eſt) reperitur; adeo vt vbicunque rubrica ſeſe offert, ferrum ibidem etiam ſubeſſe, certò certius minerarum indagatoribus indicium exiſtat. Huic rubricæ flaua terra permixta reperitur, quæ tum in fodinis à ſubterraneo calore, tum extra fodinas igne in rubricam excoquitur. Licet itaq; ferri ſubſtantiam propter duritiem, & grauitatem, aqua ipſa profluens ſecum in conſpectum afferre non valeat; venas tamen eius ſub terrâ, vt oſtenſum eſt,

per-

permeantem facultates eam ferri imbibisse rationi consentaneum est. Quapropter, rubricam inesse ostenso, ferrum etiam, & ochram adesse, necessariò consequetur.

Aeris siue cupri mineram, sub terrâ hanc aquam diluisse, etiam non præsente eius corpore, euidentissimè testatur atramentum sutorium, ipso aquæ sapore, ac subsidente eiusdem atramenti substantiâ, omnium consensu notissimum; quod quantam cum ære habeat cognationem, & affinitatem, Græci ipsa nomenclatura χάλκανθον, quasi dicas χαλκοῦ ἄνθος, id est. ęris florem, appellantes, satis declararunt. Est enim chalcanthum siue atramentum istud sutorium, aqua simplex quę postquàm æris venis in terrâ aliquandiu permixta fuerit, ex æris cotactu viridis reddita, deinde condensata, ærisque naturæ particeps reddita, diuersam secundum lapidis, aut terræ, in quibus colligitur, formam habet. Et hoc quidem atramentum sutorium naturale est; Factitium verò siue coctile hoc modo, secundum descriptionem Dioscor. libr. 5. cap. 74 conficiunt artifices, Aquam, in quâ chalcantho faciundo conueniens mineralis terra per aliquot dies macerata fuerit, decoquunt, mox in piscinas transfundunt, & residere patiuntur; Hoc certis diebus coalescit in complures formulas, tesserarum speciem reddentes, quæ racematim inter se cohærescunt, congestum. Vtrumq; porrò æris naturæ proximum est, quod de naturali liquidè ostendit Gal. 9. de simpl. medicam. facult. vbi cùm

eius

eius in Cypro collectionis historiam tradidisset, subdit, Ad sinistram cauernæ eiusdem, in qua chalcanthum à naturâ producebatur, conspectum ipsi fuisse metallum soryos, calchiteos, & misyos, ex quibus colligit, aquam pluuiam totius illius collis terram colluere, ex quâ sponte quidem fiebat sory, mysi, & chalcitis, &, per fornaces, æs, cadmia, pompholyx, spodium, & diphryges. Præterea, experientia quotidiana comperimus, arce chemicâ ex omni chalcantho æs verum, & bonum separari, siquidem naturale atramentum teste Gal. aliquam æris substantiam dissolutam secùm destillans adfert, factitij autem materia vel æreæ venæ aliquas partes sibi permixtas habet, vel in cocturâ aliquot laminas æris illi adijcere oportet, vnde mirum non videatur si arte posteà, æs à chalcantho separetur. Constare igitur ex prædictis arbitror, ab ęris minerâ suas etiam facultates has aquas depromsisse.

Sulfur cùm ex fumoso nidore inter bibendum fauces, & nares feriente, tùm extractæ substantiæ colore, si sufficienter non cognoscis, puluerem extractum calcinando, & torrendo alembici superiorem partem aureo colore, & Sulfuris substantiâ perfusam reperies. Sulfuris autem minera omnis impura est, & chalcanthi, aluminis, ac nitri particeps, vt re ipsa singulis horis conspicimus, solent enim ij, qui succos minerales excoquunt, hũc seruare ordinem: Primùm, ignis vi ex ipsâ sulfuris minerâ pinguiorem & aëream partem, quę purum

rum sulfur est, extrahunt: Terram autem reliquam sulfuris, his ab ipsis appellatam, solis radijs, & pluuię, in areâ deputata per aliquod tempus exponunt, deinde hanc aquâ perfundunt, & factum per macerationem veluti lixiuiũ igne deinde excoquunt, &, vt suprà ex Dioscoride diximus, in certas formas congelatum reducunt, atque efficitur atramentũ sutoriũ satis bonum. Relictam rursus, post factum atramentum, subsidentem terram iterum aeri exponũt, & breui post tempore, adiectâ humana vrina, facta aliqua cum hac maceratione, colatum liquorem in massas excoquunt, & verum inde prouenisse alumen cõspicitur. Quòd si quartò, id quod etiamnùm instar fæcum subsidet, torrere velint, & aqua simplici macerare: extractam filtratione aquam in verum & legitimum nitrum coquere poterunt. Omnibus igitur, ecce, inspicere licet, in sulfuris minerâ omnes has substantias minerales potentia existere, quas etiã ex ipsa huius aquæ Spadanę subsidentia, si magnam eius habeamus quantitatem, modo iam dicto extrahere possumus, maior tamẽ eius pars rubrica est, & ochra. Reliqua minori huic substantiæ quantitate insunt, adeo vt vix in ipsa gustatu percipiantur: sufficit autem illa quantitas parua ad saporem acidũ, & nidorem sulphureũ aquæ multę inducendũ, vt cuilibet experiri licet, si chalcanthi grana 4. aut 5. sulfuris 2. aut 3. aquę libris quatuor adiecerit. Nam vtriusque saporem sufficienter exprimi reperiet.

Restat modò plumbum, & cerusa, ab auctore

huic aquæ ineſſe aſſerta. Horum profectò non tam exquiſita reddi poteſt ratio. Verum artificiali haud à ratione alienâ coniecturâ id oſtendere poſſumus. Quæ ſuadent ceruſam ineſſe, coniecturæ hæ precipuæ ſunt. Primò, aquæ huius obſcura albedo; Secundò ſubſtantiæ extractæ pallida rubedo, quæ in hac ſubſtantiâ ratione rubricæ, ſi album quid illi adiunctum non eſſet, intenſior foret. Tertiò, ſi puluis hic calcinetur, exquiſitum acquirit ruborem inſtar minij; quod idem contingere ſolet, ſi quis ceruſam exactius vſſerit; conuertitur enim omnino in minium, qui rubor, exuſtâ ochrâ vel rubricâ, nunquam tam floridus conſpiceretur. Hæc ceruſæ aliquid ſubeſſe mihi perſuadent, quæ aquæ aciditate ex mineræ plumbeæ ſuperficialibus partibus concurrente calore ſubterraneo confecta fuerit, & cum aqua profluat.

Vnde è quatuor hiſce, Rubrica, Chalcantho, Sulfure, & Ceruſa, hiſce aquis ineſſe iam ſatis vt opinor oſtenſis, certò ſcire quilibet poteſt, reliquorum ab auctore aſſertorum foſſilium, ſi non ſubſtantias omnium, ſaltem facultates ſingulorum hiſce Spadanis fontibus ineſſe. Qua via etiam in omnibus alijs mineralibus aquis contenta foſſilia, tum ratione, tum experientia indagare rerum naturalium ſtudioſi poterunt.

Quæ quidem omnia doctiſſimo viro Philippo Gæringo non ignota fuerunt; ſed quoniam Gallico ſermone vulgaribus ſcripſit; ne plebeiorum

animos

animos ſupra captum oneraret, ſuffecit illi rem hanc breuiter, vires autem, & vtendi modum vulgaribus magis profutura, & comprehenſu faciliora, diffuſius & prolixè magis tradere; Quæ ego latinè ſcribens doctioribus, non omittenda exiſtimaui, quò & libri auctorem à calumnia, & ſtudioſos omnes, à laborioſa & inutili huius aquæ deſtillatione liberarem.

Subſtantiam foßilium aquâ Spadanâ contentam non habere facultates aquæ.

Obſeruatio II.

QVoniam iam mentionem fecimus ſubſtantiæ illius, quam naturæ huius aquæ Spadanæ inueſtigatores, ſiue per aquæ exhalationem, ſiue per eiuſdē vaſis chemicis ignis operâ ſublimationem, colligunt, operæ precium me facturum exiſtimo, ſi eorum ſententiam examinauero, qui huius terræ, ab aquâ ſeparatæ, quam ipſius aquæ vſum, vt commodiorem, ita æquè vtilem fore, leuibus argumentis perſuaſi exiſtimant, & compluribus etiam perſuadere conantur. Præcipum autem horum argumentum hoc eſt. Cum aqua (inquiunt) mineralibus per quæ profluit, omnes vires, ex eorùm omnium, qui de eâ ſcripſerunt, ſententiâ, acceptas ferat, rationi conſentaneum videtur, mineralium ipſa corpora, arte ſeparata, & quantitate aquæ proportionata, ex vino vel alio conuenienti liquore exhibita, validiùs in morbis curandis

sola per se vim suam exercere, quàm aquæ simplicis magnâ quantitate impedita, quæ sola multos ab huius aquæ potu omnino auocat. Plurimi etenim ex intemperie frigidâ & humidâ languidũ habentes ventriculum, tum ab actuali aquæ frigiditate insigniter offenduntur; tum ab eâdem intemperie imbecillem habentes facultatẽ retentricem, conuenientẽ aquæ dosin retinere nequeunt. Innumeri etiã, tum ob negotia, tum ob itineris difficultates, aut virium languorem, à ꝓprijs laribus discedere impediuntur. His omnibus aquæ vsum alioqui vtilissimum prohibentibus; pulueris vsum omnib. ex æquo, & quouis loco ac tempore opportunum, aquæ vicem posse supplere censent.

Verùm totâ, vt arbitror, isti errant viâ; Neque enim cùm fossilib. subterraneis aquæ huius vires adscribimus, de eorum substantiâ id intelligi, aut accipi volumus, sed latenti ἀναθυμιάσει, siue exhalationi spirituosæ, quæ in mineralium generatione, & augmentatione, à calore subterraneo elata, in rimis saxorum, terrarumq́; cauernulis vnà cum aquâ oberrans, aquam hanc vndiq; afficit, & alterat, mineraliumq́; qualitatib. imbuit omnino esse adscribendas asserimus. Hoc quod in subterraneis locis peragitur mysterium cum exactè consequi non valeamus, fit, vt effectuum contrariorum huius aquæ causas nullâ ratione sufficienter assequi possimus: quia nimirum hæc naturæ arcana sensui, & intellectui nostro magna ex parte abscondita sunt. Assequi tñ non difficillimè liceret, si ab

hac

hac ſolâ ſubſtantiâ terreâ à metallis dilutâ (cuiꝰ facile foret & qualitates, & partium diuerſarum ad huius compoſitionem concurrentium proportionem cognoſcere) effectus, & vires ſuas hæc aqua deſumeret. Hi ſpiritus in cauſa ſunt, vt ſuperioris fontis Sauenirij dicti aqua, vel minimùm traſlata grauior, & eneruis, vt ita loquar, & menſurâ minor, remanente tamen hac ſubſtantiâ, efficiatur. Quod idem non ita multò pòſt, tamen Pagi aquæ ſimiliter contingit. Præterea, nebuloſo, aut turbato cælo, ob harum exhalationum impuritatem, nihil paſſa ſubſtantiâ, in ſapore, & viribus aqua nō leuiter deprauatur. Et tandem in tantum hęc ſubſtantia alteratur ſublimatione, vt, ſi, poſt ſublimationem, aut exhalationem, tantæ quantitati ſimplicis aquæ, quanta erat ea, ex quâ extracta eſt, miſceatur, nullum ſaporem aquæ Spadanæ guſtaui præſentatura ſit. Meâ igitur ſententiâ, nullo pacto maiores eidem ſubſtantiæ, quàm rubricæ, aut terræ ſinopiæ, ſiccandi ſcilicet, & aſtringendi facultates ſi nihil admiſceatur, tribuendæ ſunt, & nullam eam cum aquæ Spadanæ viribus analogiam habere cenſeo. Quamobrem tum aquæ frigiditas, tum menſuræ quantitas, & loci, ſi qua eſt, incommoditas, ſi præſcriptis ab auctore libelli remedijs non emendentur, æquo animo ferēda ſunt, cùm nulla cōmoditas ſuâ incōmoditate careat. Ex prædictis videre quilibet poteſt, meras vulgo obtrudi nugas à neſcio quib. pſeudiatris empiricis, qui hanc ex aquâ Spadanâ ſubſtantiam magnâ quantitate extra-

extrahentes, pares, imò maiores effectus hâc cum vino ſumentibus, quàm, ſi aquam ipſam in Pago Spa biberint, promittere turpi lucri cupidè non erubeſcunt.

Quibus externis malis hæc aqua proſit.

Obſeruatio. III.

AQuam hanc enarratis ab auctore præcedentis libelli, tum internis, tum externis præter naturam affectibus curandis intra corpus ſumptam conuenire, iam pluries certiſſimo rerum euentu, frequens oſtendit experientia. Sed quoniam plurimi ſunt affectus externis corporis partibus contingentes; qui præter internorum medicamentorum vſum, etiam externorum, localium vulgò dictorum, applicationem neceſſariò requirunt, vt ſunt tumores præter naturam, & vlcera, haud abs re facturus videor, ſi quibus externis malis curandis, locis affectis foris adhibita vtilis, & idonea ſit hæc aqua, breuiter declarauero.

Cùm ſecundùm qualitates primas, ità hæc aqua frigida ſit, & ſicca, vt etiam partes aliquas calidiuſculas habeat, & inter ſecundas quibus prædita eſt, valenter extergat, mundet, & ſiccando corroboret, harum qualitatum operâ ſequentibus malis ipſam conuenire & rationi conſentaneum, & experientiâ comprobatum eſt.

Imprimis ex ſanguine bilioſo cauſata eryſipelata, & ophthalmias, præmiſſis remedijs vniuerſalibus,

libus, in fine principij, aut augumento adhibita, frigiditate scilicet alterante, ac paucâ caliditate ꝙ influxit dissipante, facile curat. Pustulas à bile, aut salso phlegmate in facie, aliaúe corporis parte ortas, vt & scabiem, refrigerandi, & siccandi potentiâ aufert. Rubedinem faciei adhibita tollit, Oculorum caligines discutit, faucium, & gurgulionis inflammationi gargarizata prodest; Verrucas, & clauos desiccando, si diutius adhibeatur, cōsumit; Vlcera caua, & sinuosa mundat, & excrementa siccando consumit, hinc penis vlcera iniecta peculiariter exterget, siccat, & carunculas illi innatas paulatim consumit. Intestinorum lumbricos enematis loco iniecta occîdit. Adeò, vt inter eas aquas, quæ & intùs sumptæ, & exterius admotæ corpori humano prosunt iure merito deinceps connumerari possit.

Quibus adminiculis aquæ Spadanæ transitus per corporis meatus facilitari poßit.

Obseruatio. IIII.

PRæter ea quę ab auctore narrantur ad aquę huius descensum vel per aluum, aut vrinæ ductus promouendum, auxilia, duo adhuc reperiuntur, ac ad vrinæ quidem vias aqua facilius permeabit, si olei ex Chalcantho arte chemica eliciti aliquot guttulæ singulis aquæ haustibus admisceantur; cū enim hoc oleum siue spiritus ex re minerali huic aquæ suas vires magna ex parte tribuenti extractū

meatus angustos maxime vrinarios facile penetret, facile aquę ad renes & vesicam transitum promouebit. Per aluum verò descendere conanti auxiliabimus adiecto singulis aquæ libris salis cōmunis in puluerem redacti drachmæ plus minus pondere, sicque salis abstersoria vi adiuta ventrem vt vsus docet, proritabit. Quod si forte alicuius palato sic non arrideat, is loco Sauenirij aut fontis inferioris, alterius fontis Pago Spa vicini Geronster vulgo indigenis nuncupati, librarum quinq; aut sex plus minus potu aluum prouocare poterit, nam eius fontis aqua cum plurimum nitri cum chalcanthi copia recipiat, si pauca quantitate sumatur vrinas, si multa ventrem egregiè mouere solet. Consulerem igitur ijs qui calido & sicco hepate prędit facile à Sauenirij potu constipantur, huius per vices vrgente necessitate aliquot libras ebibant.

Has post tractatum de fontibus Spadanis obseruatiunculas adijcere volui, vt doctis omnibus ad vlteriora in hisce fontibus inquirendi ansam, ad mirabilium Dei operū exaltationem, & ægrotantium vtilitatem præberem.

FINIS.

PHILIPPI GAERINGI, FONTIS FERRATI TVNGRENSIS DESCRIPTIO.

IN FONTIS FERRATI TVNGRENSIS DESCRIPTIONEM CARMEN.

TVngrorum vicine nouæ sunt mœnibus vrbis.
Qui veteris proprior mœnibus vrbis eras,
Fons idem manifesta fides ille inclytus, autor
Quem laudat physicæ Plinius historiæ.
Nam ferruginei es, teq; esse, saporis, in ipso
Deprendi potus sat, nisi fine, nequit
Humorumq; obstructa graui lue corpora purgas,
Quasq; nouat febres tertia quæq; dies
Discutit; & natos vesica & rene lapillos
Eijcis, in cineres conteris anne suos?
Idem & Vulcano labris admotus ahenis,
Pallescis primò turbidus, inde rubes.
Macte animis, macte & solito, tua munera fundens
Erumpat scatebris largior vnda tuis.
Pluribus & stellare, velut prius, incipe bullis.
Aspera quod sors huc abnuit vsque tibi.
Vrbis vt excidium Plini post tempora, triplex
Ante fluenta tuæ libera clusit aquæ.
En tibi vicina Trudonis ab vrbe Philippus
Gæringus, medica Plinius alter ope.

Qui, tibi quas tribuit laudes prior ille, recensens,
Antiquisq; nouas laudibus adjiciens,
Priscis te titulis, pariterq; recentibus auctum,
Spadanis faciat fontibus ire parem.
Non hic vana canens, non incomperta, sed vsu
Multiplici, plena sed sibi nota fide.
Indubijsq; sibi penitus sic cognita causis,
Vt se scire suo dicere iure queat.
Nos nec eas secum, nec earum effecta recusans.
Scire bonus, chartis explicat ille suis.
Vt sciret, miscetur aquæ quod fossile cumq;,
Secreuit lento prouidus igne, tuæ.
Hinc ferrum & nitrum elicuit, ferrumen & auri,
Dant vni vires quæ tibi terna suas.
Vrinam, ventremq; nitrum abstergente mouet vi;
Ferrumen vomitus flumina largaciet.
Subtiles, calidosq; valet vis sistere ferri
Defluxus, laxum contrahere & stomachum.
Tu nimios iecorisq; potens, renumq; calores
Tollis, & hystericis es medicina malis.
Humentem siccans vterum; surgentis in altum
Cum suffocari fœmina mole timet.
Te capitis vertigo atq; Hemicrana verentur;
Cuiq; malo fecit galbula nomen auis.
Te gremio vesicæ, & renibus abditus imis
Calculus; incendens articulosq; dolor.
Ipsa adeo, quæ dira lues supereminet omnes,
Cedere pestilitas cogitur atra tibi.
Quippe mali causam, ne sanguis nempe putrescat,
Cæteraq; humorum terna caterua, caues.

Nec

Nec vero, informi specie quia turbidus horres,
Fætaq; vermiculis stat tibi segnis aqua,
Iccirco imprudens animi te spreuerit hospes,
Istaue tot læuus, tantaq; posse neget.
Limpidus efficeris, cella inferiore repostum
Clausit vbi paucos ficcilis vrna dies.
Quare age Tungrorum iuncta sibi plebe senatus
Aut ortum quærant qui fuit ante tuum.
Soluentes callum prope te telluris in horrida
Agrestæ duxit quem cute longa dies.
(Hoc fieri referre tuus testatur aquarum
Plinius, & vero res satus ipsa docet)
Aut saltem caueant, ne, quas tibi proximus orâ
Excipit, aeria colliculus pluuias.
Vtq; fit admixtæ pluuijs per lubrica sordes
Se gremio posint insinuare tuo.
Si nolent (sed enim potius fas credere duco,
Non ipsos laudi tam male velle suæ)
At volet ille tuus sublimi sanguine Regum
Boiorum Princeps, Austriadumq; satus
ERNESTVS, Rex idem hominum diuumq; sacerdos
Cui sacra, dextra gerit, sceptra sinistra manus.
Ille nihil cuius natiuum fallit acumen,
Quod tegit arcanum Dædala terra sinu.
Fosilium genus omne datum cui nosse, quibusq;
Hæc constent terræ munera seminibus.
Quotq; metalla modis variet Natura, parentem
Et variet sollers Ars imitata suam
Quotq; elementa modis Natura remisceat, & quot
Ars & in hac matrem parte imitata suam.

 Parua

Parua cano ille, petit volucri quæ sidera mente
Arduus, æternas cælituumq; domos.
Qui solis, Lunæq;, astrorumq; impiger ortus
Atq; obitus didicit, multiplicesq; vias
Hic te restituet primo fons alme, nitori,
Stellet vt exsultans plurima bulla tua.
Hic tibi & effigiem niueo quam marmore ponet;
Nudato iuuenis corpore pulcher erit.
Cuius marmoreum subter laqueare cubantis
Dextra tuas vrnâ diuite fundet aquas.
Has vario Sculptum excipiet de marmore labrum,
Vicini gignit quale Eburonis ager.
Parte tui dextra, vetus index stabit, ad vndas
Intendens digitum Plinius ipse tuas;
Læua apparebit GAERINGVS *parte* PHILIPPVS,
Scripta manu, memorant quæ tua dona, tenens
Altior ambobus Spiranti ERNESTVS *in ære,*
Ille tui cultus maximus auctor, erit.
Qui neq; cælandis tabulâ mihi forsan ahenâ
His prope te renuet versibus esse locum.

Dominici Lampsonij.





PHILIPPI GÆRINGI FONTIS FERRATI TVNGRENSIS DESCRIPTIO.

De fontis ferruginei Tungrorum situ, & formâ.

CAP. I.

FONS, quem Tungri, & horum vicini, vernaculo idiomate (den ysern born) hoc est, fontem ferratum, nominant, è vetustissimis exigui colliculi, non longè ab antiquis vetustissimæ ciuitatis Tungrorum mœnibꝰ dissiti, & ab hodiernis ferè quartâ milliaris parte septentrionem versus disiuncti, hodie nō cum bullis, vt olim, sed lentè admodum exsudat. Similiter aquæ copiâ, vt solet, nunc non abundat; iniurijs maximis, & mutationibus, quibus hic fons tractu temporis subiectus fuit, aquam, vti pòst dicetur, supprimentibus. Tempore calido, & sereno, huius aqua clarior, puriorue, saporē qui à Plinio illi attributus est, ferri videlicet, obtinet, offerens linguæ & palato etiamnū astrictionem aciditate leui nō carentē. Eadē aqua innumeris, eisdéq; minimis, & subrubris vermiculis scatet. Hæc sunt, quæ de situ & figura huius fontis obseruare potui.

Plini-

Plinium, dum fontem ferratum Tungrorum describit, non intellexisse acidos fontes Spadanos, vti nonnulli astruere voluerunt.

CAP. II.

PLinius libro 31. Historiæ naturalis, capite 2. sic habet. Tungri Ciuitas Galliæ, fontem habet insignem, pluribus bullis stellantem; ferruginei saporis; quod ipsum non nisi in fine potus, intelligitur; Purgat hic corpora; tertianas febres discutit; calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit; ad postremum rubescit. Quæ quidem descriptio, etsi optimè in fontem ferrugineum Tungris vicinum quadret; opinati sunt tamen nonnulli, fontem Tungrorum non ampliùs superesse, aut Plinium loco iam citato, de aquis Spadanis locutum: quæ causa nos mouet, vt lectori firmas rationes proponamus, quibus fontem Tungrorum à Plinio notatũ adhuc superesse (etsi aliquâ in parte mutatum) proprietatesque à dicto Plinio huic tributas fontibus Spadanis nulla ratione conuenire, demonstremus.

1. Primùm, meritò scripsit Plinius, Tungros talem fontem ferrugineum habere, eò quòd mænibus Tungrorum, temporibus Plinij, fons hic esset proximus: quod de fontibus Spadanis dicere non potuisset; propterea quod in Eburonum territorio scaturiebant, qui populus & distantiâ loci, & fluminis mosę interiectu, & Rege proprio, à Tun-

gris

gris ſeparatus erat. Neque verò ad rem quicquàm facit, quod contrariam ſuſtinentes ſententiam aſſerunt, nempe, quòd Tungrorum imperium tũc temporis ita latè extendebatur, vt ea, quę in ditionibus illi ſubiectis erant, Ciuitati Tungrorum, vti capitali attribui potuerint; nam, vt eis facile concedam Tungros pluribus nationibus vicinis imperaſſe; Eburones tamen ab illorum dominio liberos fuiſſe conſtat Nam, priuſquàm Romanorũ arma in Galliam Belgicam penetrarent; & Tungri, & Eburones ſeparatim ſuis imperabãt; vtriq; videlicet in ſuâ ditione : & poſteaquàm Romani ſe Germaniæ, deinde Galliæ dominos fecerunt; Tungri per amicitiam, ac voluntariam deditionem; Eburones autem armorum vi ſubigati, vni, eidemque præfecto Romano, in ampliſſimâ, & tunc maritimâ, Tungrorum ciuitate reſidenti, obtemperabant.

Deinde, ſi Plinius voluiſſet fontes Spadanos 2
deſcribere; vt diligens Hiſtoriographus, & egregius locorum obſeruator, indicaſſet haud dubiè, Tungros talem fontem trans Moſam habere. Neque enim exiſtimandum, moſam illi fuiſſe incognitum, cum libro 4. capit. 14. Hiſtoriæ naturalis, Moſam inter flumina Germaniæ maximè celebria recenſuerit.

Adhæc, Plinius vnius tantùm fontis mentio- 3
nem facit, circa vero vicum de Spa, plures ſunt inter ſe differentes.

Præte-

4 Præterea attribuit Plinius fonti Tongrorum ſaporem ferri: fontem autem capite proximo deſcriptum talem guſtum obtinere, non tantùm ex vulgari ipſius nomenclaturâ (ſcilicet den yſeren born, hoc eſt, fons ferri) innoteſcit, ſed inſuper, quicũq; guſtatu eius aquam explorare volet, tempore calido, & ſicco, iudicio linguæ alieno ſapore non infectę, eam talem eſſe deprehendet cuiuſmodi ſaporem in aquis ſpadanis, nunquam eſt reperturus. ſed chalcanthi profectò ſiue atramenti ſutorij, quod vulgò coperoſa dicitur. Et hinc eſt, quod à latinis vocentur aquæ acidæ, non autem ferreæ, & Gallicè eaues acides; Germanicè, ſauren born; flandricè, den ſuren vel ſoeren born.

5 Quintò, ferri ſapor in fonte Tungrenſi ſub finem potus ſolummodo ſe manifeſtat, vt Plinius quoque memoriæ prodidit, at contrà, guſtus chalcanthi, ſeu coperoſæ in aquis Spadanis, ipſo ſtatim potionis initio ſe prodit, & præterea per palatum exhalationem quãdam valde ingratam, & mordacem in nares imittit, id quod aquæ Tungrenſes non faciunt, neque Plinius id de ipſis teſtatum reliquit.

6 Sextò, reliquæ conditiones per Plinium allatæ etiam nunc in fonte Tungrenſi reperiuntur, purgat enim corpora, & quidem varijs modis, vti pòſt dicetur, tertianas febres curat, & calculorum mala, igni admota turbatur, & poſtremò rubeſcit. At hæ notæ non niſi dum pura eſt aura, & ab omni miſtione aliena, ſe produnt. Poſſem hic multa alia

meam

meam sententiam confirmantia adferre argumenta, sed, cùm res adeo sit clara, ne lectori fastidium pariam, ad alia me conuertam; hoc vnum si addidero, tantum abesse, vt Plinius fontium Spadanorum notitiam habuerit, vt horum virtutes medicæ maioribus nostris, etiam ad nostra vsque tempora, fuerint incognitæ. Id quod firmis rationibus confirmare possem, sed, vt breuior fiam, & citiùs ad rem ipsam perueniam, communi testimonio Ardennatum, & præsertim ciuium Spadanorum, contentus ero.

De causis, quæ pristinam huius fontis faciem mutarunt.

CAP. III.

FOns hic temporis tractu dupliciter mutatus est. Primò namque tantam aquæ copiam, vti tempore Plinij, & multis post annis, non suppeditat. Solebat namque per riuulum quendam aquas suas fossis mœnium Tungrensium immittere, nunc autem parum admodum aquæ præbet. Altera mutatio est, quòd nunc, non vt olim, cum bullis erumpat. Quæ mutationes duas p̃cipuè ob causas huic fonti obuenerunt. Prior est, integræ, eæque frequentes, Ciuitatis Tungrorum euersiones, magnum namque Dei flagellum Attila Rex Hunnorum crudeliter illam exuri, & funditus

euerti

euerti iuſſit, adeò vt non ſolùm ciuitas, ſed & circumuicinum territorium manſit habitatorib. orbatum: quæ clades incidit poſt natum Seruatorem, Anno 453. Deinde ſimilem cladem paſſa eſt per Francos occidentales, & poſtremò, per inuaſionem Caroli Audacis, Ducis Burgundię. Secunda cauſa fuit, quòd ager vicinus, poſt memoratas calamitates, iacuit incultus. Vt igitur intelligatur, quo pacto hæ duę cauſæ ita mutauerint hunc fontem; ſciendum, propter inſignes illas Ciuitatis, & ſuburbiorũ euerſiones, ſcaturiginem huius fontis magno lapidum, lignorum, cinerũ, & ædium aceruo, obrutam fuiſſe, & obturatam, adeò, vt naturali fontis effluxu impedito alicubi violenter nouam ſcaturiginem vi effecerit, ob idque non ita liberè cum bullis, neq; tanta copiâ, vt antea, erumpere potuerit. Quod autem terræ cultura neglecta poſſit in totum auferre, aut multum impedire fontium eruptiones, pręterquam, quòd ratio ipſa rem ita ſe habere ſatis probat, Plinius ſatis nobis teſtatum reliquit, lib. 31. hiſtoriæ naturalis, cap. 4. vbi ſic habet: Coli, mouerique terram, callumq́, ſummæ cutis ſolui aquarum intereſt. Proditur certè, in Cretâ, expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, ceſſaſſe fontes, amneſque, qui in eo ſitu multi erant. Rurſus condito poſt ſex annos emerſiſſe, vti quæq; cæpiſſent partes coli. Eodem modo dico, culturam tertitorij Tungrenſis neglectam, & diu intermiſſam diminuiſſe, ac mutaſſe hunc fontem.

Antè-

Antequàm præſens caput concludam; è re erit, dubium, quod occurrit, reſoluere; nempe, quòd Plinius nullam facit mentionem minutorum vermiculorum, qui in hoc fonte conſpiciuntur; vnde quis inferre poſſet, hos tempore Plinij in eo fonte non fuiſſe repertos; aut eum de alio fonte locutum. Ad quod dubium reſpondeo, Plinium nunquàm in haſce partes perueniſſe, & quæ de his & multis alijs regionibus ſcripſit, ex relatu eorum, qui ſub Romano conductu haſce prouincias viderunt, ſcripſiſſe; ac proinde non potuiſſe omnes proprietates huius fontis ita exactè recitare, ſed exprimendo præcipuas ſecundùm relationẽ ipſi factam, propoſito ſuo ſatisfeciſſe.

De foßilibus, quorum mixturâ conſtat fons ferratus Tungrorum.

CAP. IIII.

FActo diligenti examine foſſilium, quæ hæc aqua in ſe recipit, idque varijs modis, tandem comperi, eam participare tria mineralia, ferrum, nitrum, & chryſocollam, boracem vocant. Ferrum huic aquæ, dum pura eſt, guſtum præbet, & quãuis hactenus, vt arbitror, in agro illo, ferri vena nõ ſit reperta, minerariæ tamen rei periti, affirmant, non procul à ruinis Caſtri de Coelmont huius metalli venas latêre, quę vel negligentiâ, vel ſumptuum euitandorum cauſa non inquiruntur. Nitrum autem manifeſtè in mineralibus ab hac aquâ per

chemica instrumenta secretis, gustu se prodit, eius quoque præsentia per huius aquę effectus, & operationes manifestatur. Chrysocolla similiter illi est commixta, vt & quibusdã puteis ciuitatis Tungrensis, & ipsi etiam flumini quod per ciuitatem transfluit, vulgò der Ieecher dicitur: Latinè loquentes è vernaculo idiomate Iecorã vel Iaceam vtrumque exprimunt. Habet autem Chrysocolla magnam abstergendi vim, cuius beneficio aquę omnes hac imbutæ, lintea, & aliam suppellectilem promptiùs, quàm aliæ aquæ, à sordibus, vt experientiâ constat, mundant. Leonardus Thurnesserus aquarum per mineras fluentium, tam fluminum, quàm fontium, diligentissimus perscrutator, asserit se fontem Borchvvorm, ac si dicas vvaremiæ castrum, qui dicto flumini Tungrensi partem suæ originis præbet, diligenter examinasse, & Chrysocollam ex eo separasse.

In Loscastro similis planè existit, mulierculis candorem telis lineis inducentibus ob insignem eius, abstergẽdi potentiam apprimè cognitus, cuius vsu vasis æreis, stanneis, plumbeis, & similibus ex metallis conflatis, leui labore splendorem multo maiorem, quàm aliarum aquarum, quæcunque illæ sint, operâ, indies inducunt.

De facultate purgante, quâ fons hic præditus est.

CAP. V.

FOntis huius aqua conuenienti tempore, & modo bibita, tribus diuersis rationibus corporis excre-

excrementa expurgat. Primò, per vias vrinæ: Secundò, per aluum: & Tertiò, per ſuperiora, vomitum prouocando. Priores nitro, quod in mixtione excedit, aſcribendæ. Vomitus autem prouocatur à Chyſocollâ, quæ à Dioſcor. libr. 5. capit. 45. materiæ medicinalis, inter vomitum cientia medicamenta connumeratur.

Ad quos præter naturam affectus huius aquæ potus conducat.

CAP. VI.

PRimùm omnium, tam ratione phyſicâ, quàm experientiâ, compertum habemus, huic aquę, ferri ratione, aſtrictoriam eſſe facultatem, cuius operâ deſtillationes, præcipuè calidas & ſubtiles, à capite ad inferiores, tum internas tum externas partes decumbentes, ſiſtit. Conducit hęmicraniæ, vertigini, ſimilibuſq; capitis affectibus, ex viſcerũ cum cerebro ſympathîâ natis. Ventriculum imbecillum ſua vi aſtrictrice confirmat. Iocinoris, & renum intemperiem calidam corrigit. Icterum ſanat, vt nuper in ciue Tungrenſi, qui multis alijs remedijs fruſtra vſus fuerat, experientia docuit.

Nephriticis magno eſt iuuamento, vti oſtendit nobilis quidam Anglus qui hoc affectu grauiter afflictus, aliorum fontium aquis, & omnis generis medicamentis in caſſum exhibitis, tandem paucorum dierum ſpacio, huius aquæ vſu, ſanitati integrè reſtitus, illinc lætus diſceſſit, nullo alio loco

tantum ſui mali leuamen ſenſiſſe aſſerens. Vteros præterea humidos deſiccando roborat, tumoreſque eorundem, & inflationes diſcutit. Tertianas nothas, & ſimiles febres abigit. Et hanc præcipuè ob cauſam, ad peſtilentiæ luem apud vicinos indigenas in vſu eſt; propterea quòd ſuccos putredini aptos validè deſiccat. Articulorum inſuper ex calidis ac tenuibus excrementis genitos dolores, egregiè leuat. Et quamuis mihi dubium non ſit, ob foſsilia, quibus conſtat, ad alios quoq; præter naturam affectus conuenire poſſe; illos tamen, vt nondum certâ experientiâ comprobatos, ſilentio præteribo.

De hac aquâ vtendi ratione.

CAP. VII.

DE præparatione corporis ante huius aquæ vſum neceſſariâ; victus ratione, & exercitio ad operationes aquæ promouendas requiſitis, nihil in præſenti agere ſtatui, ad libellum de aquis Spadanis, in quo hæc diffuſe traduntur, lectorem remittens; Nullas enim his in rebus aqua hæc peculiares requirit obſeruationes, præterquàm, cùm aqua hæc, quia turbida eſt, non ſolùm viſu iniucunda, ſed etiam ſumentibus ingrata ſit conſultũ eſſe, per aliquot dies ante eius vſum, ipſam in vaſe mundo, loco frigido, vt penu, quietam, vt ſubſidant partes craſſiores, relinquere; hac enim ratione clara, & limpida effecta, euidentiùs ſuas vires oſten-


ſten-

stendit; quod primus animaduertit Reueren. D. Gualterus vander steghen, Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Tungrensis Canonicus, & in vsum redegit, non sine manifesto doloris articularis, quo tunc affligebatur, leuamine. Neq; verendum, aquam hanc diuturnâ illâ conseruatione viribus (vt solent aquæ Spadanæ) destitutum iri: quia hæc neque exhalationum mineralium, neq; fossilium tam subtilium, quarumque vis citò euaporare posit, particeps est.


Et, ne præsentem de ferrato fonte Tungrensi sermonem æquo reddam longiorem; reseruatis alijs eius proprietatibus, donec vsus frequentià nobis fuerint manifestiores; finem facio, Deum optimum maximum summum Medicum rogans, vt meus hic labor, ipsi sit honori. proximis autem saluti.

FINIS.






FINIS.



B
VA
TVE
EOBA
festiuifs
tatione
Comr
Ar

Cnm Gr

FR
Apud
A



De regimine et ai[illegible]
circulo [illegible]
Descriptio fontium
[illegible]
Bona [illegible]
[illegible]
Sanitatis [illegible]
[illegible]
De [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
De [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
De [illegible]
[illegible]
Tractatus